



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

173. Parabola vigesima secunda, Villici iniqui, facientis sibi amicos de mammona iniquitatis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. *Luc. 15. v. 31. & 32.*

MEDITATIO CLXXIII.

Parabola XXII. Villici iniqui, facientis sibi amicos de mammona iniquitatis.

I. Dicebat Iesus ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. *Luc. 16. v. 1. & 2.*

II. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio, quid faciam, ut, cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. *Luc. 16. v. 3. & 4.*

III. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: centum coros tritici. Ait illi: Acci-

pe litteras tuas, & scribe octoginta. *Luc. 16.*

¶. 5. 6. 7.

IV. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij hujus seculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc. 16. ¶. 8. & 9.*

MEDITATIO CLXXIV.

Parabola XXIII. Divitis epulonis, & Lazari mendici.

I. **H**omo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & bysso: & epulabatur quotidie splendide. *Luc. 16. ¶. 19.*

II. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus: cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. *Luc. 16. ¶. 20 & 21.*

III. Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives: & sepultus est in inferno. *Luc. 16. ¶. 22.*

ME-